



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Tractatus Iuridico-Politicus De Iure Superioritatis Ac  
Summa Potestate Rom. Pontificis**

**Wesseling, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1662**

IX. Mahvmetes II.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64514)

in eo prælio etiam plusquam 30000. Turcarum occubuerint. Post hoc Peloponnesum, & præcipuè Albaniam intravit; cui tamen generosus Scanderbegus Georgius Castriotus fortissimè restitit. Sæpè quoque à Joanne Hunniade cæsus est. Obiit a. 1450. postquam 31. annos regnasset, & Christianorum plusquam centum millia, aut fame, aut ferro necasset, *Aurifod. p. 1695.*

IX.

## MAHV METES II.

Filius Amyrathis II. à matre sua ad Christianismum perductus, & educatus fuit. At postea defecit, & nec Christianus, nec Turca remansit. Hic a. 1453. Constantinopolim, seu Byzantium Imperatorum Orientalium residentiam cum exercitu 400000. obsedit, ac superavit, seque primum Orientalium Imperatorem constituit. Et sic augustissimum, & opulentissimum Orientale Imperium sub Constantino Magno cœpit, & sub Constantino XI. Imp. desiit, cum inexplicabili totius Christianitatis luctu, & exitio, Constantino, & Augusta cum toto Nobilissimo Gynecæo in frustra concidi, & ad turre civitatis suspen-

pendi iussis; postea tyrannus animatus intravit Pannoniam. Verum Joannes Hunniades, & Joannes Capistranus ei obviam procedentes ab Alba Græca feliciter repulerunt. Nihilominus ex post facto universam Græciam, nec non regnum *Trapezuntium* unâ cum reliquis munitissimis Provinciis *Varadinum* usque occupavit. Ab Hungaria arcebatur per Matthiam Regem potentissimum, contra quem quum nihil efficere posset, se movit in Italiam, & civitatem *Hydruntem* anno 1481. armata manu invasit, omnesque incolas ad 100000. Christianorum strangulari, & occidi mandavit. Eodemq; an. 1481. animam diabolo consecravit, & mortuus est, postquam 36. annos regnasset, duo Christianis Imperia, quatuor regna, 20. Provincias, & 200. urbes abstulisset per Christianorum Principum cenodoxiam, & dissidia: Hi enim, propter lepuseculum velitantur, aut glebam terræ quæritant. Illi vastissimas regiones depopulantur. O Vos Magnanimi Principes Christiani, quid respondebitis in tremendo iudicio, qui vineam Domini, quam feras aper exterminat, conservare debuistis? *Aurifod. pag. 1698.*

X, B A I A.